



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Capitvla Ivrande Per Electores Romani pontificis, & custodes conclavis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTI  
1417.

clauē huiusmodi, seu clausuram pro dicta celebranda electione intrauerint, singuli duos seruientes tantum clericos vel laicos, prout duxerint eligendos, ac etiam singulis præter panem, vinum & aquam in prandio & in cœna dumtaxat vnum ferculum seu missum carniū vnus speciei tantummodo, aut piscium seu ouorum, cum vno portagio de piscibus vel carnibus principaliter non confectis & decentibus salsamentis habere valeant vltra carnes salitas, & herbas crudas, ac caseum, fructus siue electuaria, ex quibus tamen nullum specialiter ferculum conficiatur, nisi ad condimentum fieret, vel saporem. Nullus vero eorum de alterius ferculo vesci possit. Liceat etiam eis ex decencia honestatis habere in clausura huiusmodi, cum in lectis causa quiescendi vel dormiendi esse voluerint dumtaxat, intermedia seu velamina simplicium tantummodo cortinarum, prædictis & felicis recordationis Clementis papæ V. prædecessoris nostri & aliis constitutionibus apostolicis contrariis, quibus per hoc in aliis derogare nolumus, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Auenione octauo Idus Decembris, pontificatus nostri anno decimo.

Deinde idem dominus Petrus in eodem loco existens de simili mandato capitula, quæ cardinales & alii electores Romani pontificis infra scripta obseruare, & custodes conclauis iurare facere obseruari tenentur, alta & intelligibili voce perlegit.

*CAPITVLA IVRANDA PER ELECTORES  
Romani pontificis, & custodes conclauis.*

**I**STA sunt, quæ cardinales & alii electores Romani pontificis in Concilio generali Constantiensi obseruare, & custodes iurare & facere obseruari tenentur, & ad quæ non vltra compelli possint per custodes conclauis.

Primo, quod infra decem dies a die iam lati per Concilium decreti intrent conclauē, videlicet hodie Lunæ octaua mensis Nouembris infra occasum solis.

Secundo, quod quilibet non habeat vltra duos seruien-  
tes clericos vel laicos, quos duxerit eligendos, & simpliciter  
permittantur duos habere per constitutionem Clementis  
sexti, licet in constitutione, Vbi maius, non liceret habe-  
re duos, nisi ex patenti necessitate.

Tertio, quod in conclauis simul inhabitent, nullo medio  
pariete vel alio velamine, nisi quando dormient vel quie-  
scent: & tunc licet habere intermedia seu velamina dumtaxat  
simplicium cortinarum, quæ cortinæ conceduntur per  
dictam constitutionem Clementis sexti.

Quarto ita claudatur conclaue, reseruato aditu ad secre-  
tam cameram, quod nullus, postquam inclusi fuerint, intra-  
re valeat vel exire. Nullus ad eosdem electores aditus pa-  
teat, vel facultas secreta loquendi aliquid cum eis, nec ipsi  
aliquos ad se venientes admittant, nisi de consensu omnium  
aliqui pro his quæ ad electionem pertinent, vocarentur.

Quinto, quod nulli liceat ad ipsos electores nuntium  
vel scripturam mittere.

Sexto, quod in ipso conclauis competens sit fenestra, per  
quam electoribus & seruatoribus vitæ necessaria mini-  
strentur, per quam tamen nulli patere possit accessus.

Septimo, quod in singulis diebus postquam conclaue in-  
trauerint, præter panem, vinum & aquam, in prandio v-  
num dumtaxat ferculum carniū vnus speciei tantum, aut  
piscium seu ouorum, cum vno potagio de piscibus seu car-  
nibus principaliter non confectis & decentibus salsamentis  
habere valeant vltra carnes salitas, & herbas crudas ac ca-  
seum, fructus seu electuaria, ex quibus tamen nullum spe-  
cialiter ferculum conficiatur, nisi ad condimentum fieret,  
vel ad saporem. Et in istis cibis restringitur per Clemen-  
tem sextum constitutio, Vbi maius, pro tribus primis die-  
bus, quibus nulla ciborum erat limitatio, & pro sequen-  
tibus moderatur.

Octauo, quod est de mente constitutionis, Vbi maius,  
per Clementinam, Ne Roman. quod nullus intrare com-  
pellitur conclaue, nisi omnes recusarent, quia tunc co-  
gendi sunt.

Nono, quod volentibus exire permittitur. Sed si omnes  
exirent, papa non electo, reintrare compellantur, nisi quos  
excusat infirmitas. Sed qui sine causa infirmitatis exiuerit,  
amplius

ANNO CHRISTI 1417. amplius non admittitur, nisi omnes (vt præmittitur) exirēt.

Decimo, quod exiens pro causa infirmitatis, ac etiam absentes, si superuenerint re integra, videlicet antequam de papa sit prouisum, admittantur in conclau, in statu in quo erit electionis negotium.

Custodes conclauis iurent, quod præmissa omnia sine fraude & dolo inuiolabiliter faciant obseruati, neque cardinales & alios electores vltra præmissa coarctabunt, nec permittent, aut aliquatenus sinent per alios coarctari. Item quod eadem die omnes custodes, & maxime qui addentur vltra illos, quibus de iure competit, nominatim deputentur per Concilium, & iurent præmissa. Item videtur, quod si dominus rex est præsens, debeat pro suæ maiestatis reuerentia, ab eo sedente in sede sua per duos cardinales recipi iuramentum.

*Nomina iurandorum.*

Fridericus marchio Brandeburgensis, Guillelmus comes de Hennenberg, Philippus magister Rhodi, Bronorus de la Scala dominus Veronensis miles, Ioannes Raimundi Floch comes de Cardona, Ferdinandus Petri de Ayala miles de Castella, Martinus Ferdinandi miles, Raimundus \* Ayirmar miles, Bertholdus comes de Vrsinis, Guntherus comes de Schuuartzburg, Ludouicus comes Oettingen, Humbertus de Sabaudia bastardus miles, Hugo comes de Hauugheberg, Saucius miles, Staniflaus miles, ambasiatores regis Polonia. Quibus omnibus sic lectis, venerabilis & egregius vir dominus Petrus \* Clantiger decretorum doctor, omnibus & singulis personis supradictis præsentibus & intelligentibus, alta voce capitula supradicta per eos iuranda de verbo ad verbum in Teutonico sermone ad intellectum exposuit. Quibus capitulis sic ad intellectum expositis, duo ex reuerendissimis dominis cardinalibus (prout ordinatum fuerat) ad serenissimum principem dominum Sigismundum Romanorum regem, in sede sua regia existentem, vna cum libro euangeliorum & cruce sancta accesserunt. Ipseque dominus Sigismundus Romanorum rex, tactis cruce & euangelio prædictis, in manibus dictorum dominorum cardinalium prædicta capitula obseruare iurauit. Quo iuramento præstito, omnes & singuli prædicti singulatim ad pedes

*Concil. Tom. 29.*

Ffff

dicti domini praesidentis accesserunt, ibique tactis corporaliter & cruce & euangeliis, in manibus eiusdem praesidentis (vt praemittitur) dicta capitula firmiter obseruare iurauerunt. Deinde reuerendus pater dominus Antonius episcopus Concordiensis, & Ludouicus de Palude abbas Treuorchiensis pro collegio cardinalium, Pandulfus protonotarius de Albiano pro Italica, Theobaldus archiepiscopus Bisuntinensis pro Gallicana, Nicolaus episcopus Mersburgensis pro Germanica, Petrus episcopus Olerensis pro Anglicana, decanus Segobiensis pro Hispanica, nationibus, pro custodia conclauis deputati, in manibus dicti praesidentis tactis cruce & euangeliis praedictis (vt praemittitur) iurauerunt. Quibus iuramentis sic (vt praemittitur) praestitis & receptis, reuerendus pater dominus Bartholomaeus archiepiscopus Mediolanensis legit sequens decretum sub his verbis.

*Decretum de electoribus Romani pontificis pro hac vice.*

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, exequendo eiusdem Synodi ordinationem, decretum & statutum nuper edita super modo & forma electionis hac vice Romani pontificis, ad eligendum eadem vice Romanum pontificem, adiungit reuerendissimis in Christo patribus sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, ex eorum voluntate & consensu expressis, venerabiles Ioannem patriarcham Constantinopolitanum, Ioannem Rigensem Germanicae, Guillelmum Bituricensem Gallicanae, Nicolaum Gnezensem Germanicae, Bartholomaeum Mediolanensem Italicae, Iacobum Turonensem Gallicanae, archiepiscopos; Ricardum Londoniensem, Nicolaum Bathoniensem Anglicanae, Didacum Conchensem, Ioannem Pacensem Hispanicae, Ioannem Gebennensem Gallicanae, Franciscum \* Melitensem, Henricum Feltrensem Italicae, Nicolaum Aquensem Hispanicae, Simonem Traguriensem Germanicae, Ioannem Lichfeldensem, Ioannem Noruicensem Anglicanae, episcopos, ac dilectos ecclesiae filios Iacobum Pennensem electum Italicae, Robertum Cluniacensem Gallicanae, Thomam sanctae Mariae Eboracensem Anglicanae, monasteriorum abbates; Leonardum generalem ordinis praedicatorum sacrae paginae, Italicae; Thomam decanum

\*Meliten.

ANNO  
CHRISTI  
1417.

Eboracensem sedis apostolicæ notarium, Anglicanæ, Pandulphum de Malatestis archidiaconum Bononiensem Italicæ, Vualterum Grassi priorem Rhodi decretorum, Gallicanæ; Philippum de Madalia archidiaconum, pœnitentiarium in ecclesia Barcinonensi, sacre pagine, Hispanicæ; Lambertum de Stipite priorem de Berckenyo, Gundifaluum Garfæ archidiaconum de Brunesta decretorum, Vualaschum Petri vtriusque iuris, Hispanicæ; Nicolaum de Dinckelspuel, Conradum de Susato sacre pagine doctores, Germanicæ, nationum prædictarum in eadem Synodo existentium & nominatorum, & per easdem nationes quemlibet per se ad hoc electorum: præfatisque sic (vt præmittitur) electis & adiunctis, eligendi cum ipsis cardinalibus, de eorum voluntate & consensu expressis, Romanum & summum pontificem secundum formam ordinationis & decreti præmissorum, tribuit potestatem, supplens omnem defectum, si quis forsan in electione prædictorum adiunctorum interuenerit. Quo decreto lecto, idem dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis continuauit sub his verbis.

*Decretum de non spoliando eligendum in papatu.*

*Sacro sancta generalis Synodus Constantiensis, ad perpetuam rei memoriam.*

Omnis ætas ab adolescentia sua prona est ad malum, ad <sup>Genes. 6.</sup> id præsertim, ad quod cupiditatis & auaritiæ stimulis incitatur. Fiunt autem & factæ sunt leges, vt earum metu humana refrenetur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & refrenetur nocendi facultas. Cum itaque nonnunquam euenisse comperimus, quod electo Romano pontifice, nonnulli sub prætextu cuiusdam abusiue licentiæ, res & bona sic electi, quasi culmine diuitiarum adepti, falso prætendentes occupanti concedi, nedum illius sic electi, imo aliquando nonnullorum, quos electos esse mendaciter confingunt, domos, res & bona illorum, nec non & aliquando bona cardinalium aut electorum Romani pontificis, & aliorum in loco conclauis existentium, etiam violenter inuadunt, recipiunt, occupant & transportant, lucrifacta existimantes, ex quibus (si permitterentur) plura pericula, scandala, rapinæ, furta,

*Concil. Tom. 29.*

Ffff ij

& nonnunquam homicidia sequerentur. Nos igitur tam sceleratæ temeritatis & audaciæ viam præcludere, & huiusmodi periculis & scandalis obuiare volentes, præfatum damnantes sceleratum abusum, talia fieri hoc edicto prohibemus; statuentes, quod quicumque, cuiuscumque status aut conditionis existat, contra hoc præsumpserit attentare, aut ad hoc auxilium, consilium vel fauorem præbere, præter pœnas quas in violētos raptores & occupatores huiusmodi, iura atque apostolicæ & imperiales constitutiones statuunt, eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, a qua nisi per istam sanctam Synodum aut futurum Romanum pontificem, præterquam in mortis articulo & satisfactione, absolui nequeat, & omni officio, beneficio, priuilegiis, ac dignitate ecclesiastica & mundana, feudisque & rebus aliis, si quæ, aut quas in Romana vel aliis ecclesiis obtinebit, sit priuatus, & intestabilis actiue & passiuue existat: ciuitas vero quæ in præmissis culpabilis fuerit, ecclesiastico subiaceat interdicto: huic adiicientes sanctioni, vt domini temporales, rectoresque & officiales ciuitatis vel loci, vbi electionem Romani pontificis contigerit celebrari, illa imminente, præmissa fieri sub grauioribus pœnis publice & realiter prohibeant, & prohibitionem diligenter faciant obseruari, ceteris constitutionibus \* circa \* talia editis, in suo robore duraturis.

*Decretum annullationis protestationum, conuentionum, nec non suspensionum causarum, & audientie litium.*

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, vt purius, sincerius & liberius ad electionem Romani pontificis proxime celebrandam procedatur, omnes & singulas protestationes, quæ possunt puritati, sinceritati, libertati & efficaciam electionis huiusmodi obuiare, nec non conuentiones, pactiones, promissiones, obligationes, iuramenta, condicta & intendimenta circa materiam electionis huiusmodi factas & facta, fiendas & fienda, ex abundanti damnat, reprobat, annullat & execratur, prout etiam de iure sunt nulla; mandans sub obtestatione diuini iudicii, & sub excommunicationis pœna, quam in contrarium facientes vult & statuit eo ipso incurrere, & præcipiens, ne quis ( si quis forsitan talia fecerit) illis vtatur, aut illas vel illa obser-

ANNO  
CHRISTI  
1417.

ANNO  
CHRISTI  
1417.

uet, cum plus Deo placeant talium transgressores, quam obseruatores: illosque ab illorum, vel illarum obseruatione absoluit & liberat, ac liberos & absolutos esse declarat. Præterea ut ad tam necessarium & salubre electionis negotium attentius procedatur, audientiam & omne causarum & litium exercitium in eadem sancta Synodo & illius auctoritate constitutam & constitutum, præter audientiam curiæ cameræ apostolicæ, usque ad assumptionem Romani pontificis inclusiue suspendit & prohibet, irritum decernens & inane, quidquid in contrarium fuerit attentatum. Quibus decretis, ac omnibus & singulis (ut præmittitur) lectis & peractis, dominus præsidens totius Concilii nomine, per verbum Placet, respondit. Deinde vero de mandato sacræ Synodi idem reuerendissimus dominus præsidens voluit habere decretum de securitate præsentis ciuitatis Constantiæ, alias statutum & ordinatum, pro lecto & repetito in eadem sessione.

Super quibus omnibus & singulis præmissis magister Henricus de Piro procurator & promotor prædictus, nomine quo supra, sibi a protonotariis, notariis atque scribis ipsius sanctæ Synodi, ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, ac tot quot fuerint necessaria, fieri petiit publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Præsentibus ibidem reuerendissimis in Christo patribus & dominis, dominis Ioanne Ostiensi, Laudensi, Hispano, de Vrfinis, Bononiensi, episcopis; Venetiarum, Aquileiensi, Senensi, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Placentino, de Chalanco, Rhemeni, de Fuxo, presbyteris; de Branckasis, de Flisco, de Comitibus, diaconis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, & ceteris prædictis, aliisque regum, principum, prælatorum, nobilium, communitarum, vniuersitatum, studiorum & collegiorum ambasiatoribus, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

*Introitus conclauis.*

Eadem die hora tertia vel quasi post meridiem, reuerendissimi, reuerendique patres & domini sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, patriarcha Constantinopolitanus, archiepiscopi, episcopi, abbates, venerabilesque domini



priores, decani, archidiaconi, doctores, ceterique electores prædicti domini communitatis ciuitatis Constantiensis domum pro conclau paratam, pro electione Romani pontificis celebranda, more solito intrauerunt.

ANNO  
CHRISTI  
1417.

*Electio papæ.*

Die Iouis in festo sancti Martini episcopi, vndecima supradicti mensis Nouembris, reuerendissimi, reuerendique patres & domini sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, patriarcha, archiepiscopi, episcopi, abbates, alique electores prædicti in conclau prædicto existentes, reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Odonem de Columna, sancti Georgii ad \* velum aureum diaconum cardinalem, de Columna vulgariter nuncupatum, natione Romanum, concorditer in Romanum pontificem elegerunt, qui Martinus papa quintus nominari voluit. Et sic per serenissimum & inuictissimum principem dominum Sigismundum Romanorum regem, vna cum sancta Synodo, apud prædictam ecclesiam maiorem huius ciuitatis Constantiensis maximis cum solennitatibus & lætitia fuit inthronizatus.

\* velabrū

*Coronatio papæ.*

Pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Martini diuina prouidentia papæ quinti anno primo, die Dominica vigesimaprima supradicti mensis Nouembris, idem sanctissimus dominus noster more solito & in coronationibus Romanorum pontificum hætenus obseruari consueto, fuit apud ecclesiam Constantiensem honorifice coronatus, & demum per dominos sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates, aliosque prælatos, ambasiatores, & Romanæ curiæ officiales in sacrosancta Synodo prædicta præsentibus, nec non illustrissimum principem dominum Sigismundum Romanorum regem, &c. a dextero, & illustrissimum principem dominum Fridericum marchionem Brandeburgensem, sacri Romani imperii archicamerarium & electorem, a sinistro, lateribus eiusdem domini nostri papæ per equi frenum in quo sedebat, vna cum populosa multitudine processionaliter ab eccle-

ANNO  
CHRISTI  
1417.

fia Constantiensi prædicta vsque ad monasterium sancti Augustini conductus, & per circuitum ad Constantiensem ecclesiam prædictam fuit sollemnissime reductus.

SESSIO XLII.

**A**NNO Domini millesimo quadringentesimo decimo septimo, indictione vndecima, die vero Martis vigesima octaua mensis Decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini, domini Martini diuina prouidentia papæ quinti anno primo, fuit sessio generalis in ecclesia maiori Constantiæ, sanctissimo domino nostro papa prædicto personaliter præsentem ibidem & præsentem. In qua reuerendissimus pater dominus Antonius episcopus Concordiensis Missam de sanctis Innocentibus deuote celebravit. Qua celebrata, reuerendissimus pater dominus Guillelmus tituli sancti Marci sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, de mandato sanctissimi domini nostri ac sanctæ Synodi prædictorum, in ambone solito stans, quamdam bullam infra scripti tenoris publice legit.

*Bulla liberationis factæ domino imperatori de custodia olim Joannis vigesimitertii papæ, & traditione domino nostro papæ factis.*

*Martinus episcopus seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio Sigismundo regi Romanorum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.*

Dudum præsens sacrum generale Concilium Constantiense personam Baltassaris Cossa, olim Ioannis papæ vigesimitertii in sua obedientia nuncupati, post illius a papatu per definitiuam sententiam eiusdem Concilii canonicam depositionem, per eandem sententiam ad standum & morandum in aliquo bono & honesto loco sub custodia tuta nomine dicti sacri Concilii, quamdiu eidem sacro Concilio pro bono vnionis ecclesiæ Dei videretur, condemnauit: quem hucusque fideliter & diligenter tam per te, quam per dilectum filium nobilem virum Ludouicum ducem Bauariæ & comitem Palatinum Rheni, tuo nomine sub fide & tuta custodia, honeste & debite, tamquam vnionis & pacis zelator deuotus conseruasti.

Cum autem nuper nos & nonnullos nationum in eo-